

floritate nostra tenore presentium extendimus, & ampliamus, una cum quibuscumque aliis Indulgentiis, & gratiis spiritualibus, quæ Confratribus quarumcumque Confraternitatum, sub eadem invocatione Conceptionis Beate Mariæ Virginis hætenus ubicumque erectarum, quas firmas esse volumus; ac tribus Ordinibus Beati Francisci, hucusque per Romanos Pontifices quomodolibet, respective, concessæ fuerunt, earum omnium sub Plumbo, quam in forma Brevis confectarum literarum tenores, ac si præsentibus de verbo ad verbum infererentur, pro expressis, & insertis habentes.

Conceditur Magistris Generalibus Ordinibus Minorum de Observantia facultas Confraternitates Conceptionis ubique erigendi.

§.5. Ministro autem, seu Vicario, vel Commissario Generalibus primordii Ordinis, nunc, & pro tempore existentibus, tenore earumdem presentium concedimus pariter, & indulgemus, ut utriusque sexus Confraternitates sub prædicta Invocatione Conceptionis Beate M. Virginis Immaculate ubique locorum, tam in eorumdem Fratrum primordii Ordinis, quam in quibuscumque aliis Ecclesiis, vel Oratoriis sub eorum directione, aut regimine quomodolibet existentibus, vel non existentibus erigere, & instituere possint, necnon easdem, & quascumque sub eadem Invocatione ad præfens canonice erectas, & institutas, & in posterum canonice erigendas, & instituendas Confraternitates, & quoad erectas, & institutas, prævia cessatione, & revocatione quarumcumque aliarum Indulgentiarum, ipsi quovis modo per viam cuiusvis aggregationis, & communicationis cuilibet Archiconfraternitati, aut alias concessarum, dictæ Archiconfraternitati, ut prædicitur, erigendæ aggregare libere, & licite valeant, servata tamen forma Constitutionis pie memorie Clementis Papæ VIII. similiter Prædecessoris nostri, super dictarum Confraternitatum erectionibus, & aggregationibus editæ, privative quoad alios, circa huiusmodi erectiones in posterum faciendas.

Clausula.

§.6. Decernentes, easdem præfentes ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, seu quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, aut revocari nullatenus unquam posse, sed illas semper, & perpetuo validas existere, suosque plenarios, & integros effectus in omnibus, & per omnia sortiri, & obtinere; sicque, & non alias per quoscumque Iudices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, iudicari, & definiri debere; ac irritum quoque, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatoria.

§.7. Non obstantibus pie memorie Antecessorum Nostrorum, ejusdem Clementis PP. VIII. & Pauli Quinti, similium gratiarum revocatoria, seu moderatoria, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis de Indulgentiis non concedendis adinstar, ac de jure quæsito non tollendo, primordiique Ordinis, etiam juramento roboratis, statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.8. Volumus autem, ut Confraternitatum,

quas in posterum Archiconfraternitati, ut prædicitur, erigendæ aggregari contigerit, Officiales, seu administratores pro redditione rationis administrationis bonorum temporalium, ordinariis locorum subiecti permancant.

§.9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, impartitionis, substitutionis, subrogationis, extensionis, ampliationis, indulti, & absolutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo septimo Kalendis Aprilis Pontificatus Nostri Anno Tertio.

CLXXIII.

Confirmantur, & declarantur privilegia super exemptione a Decimis, alias Universo Ordini Carmelitarum Excalceatorum concessa; in favorem Congregationis Hispaniarum ejusdem Ordinis.

Dicta privilegia concessa fuerunt a Clem. IV., Clemente VI., & Sixto IV. quorum Constitutiones quæ hic laudantur, in Bulario antiquo exarata non reperiuntur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

I Njuncti Nobis calitus Pastoralis Officii sollicitudo Nos admonet ut ea, quæ ad Sacrarum Religionum, & Congregationum uberes bonorum operum fructus in Ecclesia Dei proferre, jugiter satagentium favorem, & levamen ex hujus S. Sedis Providentia emanata noscuntur, quo firmiora semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio robaremus.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Dilectus Filius Michael a Christo Procurator Generalis Fratrum Ordinis Beate Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniarum, quod licet universus Ordo, adeoque etiam Congregatio hujusmodi, juxta privilegia Apostolica eis concessa exempti reperiantur a solutione Decimarum, etiam per Romanos Pontifices pro tempore existentes impositarum, nedum ratione fructuum cuiusvis speciei, qui intra septa murata locorum Ordinis, & Congregationis præfatarum colliguntur, sed etiam reliquorum bonorum eis quomodolibet legitime acquisitorum, & acquirendorum, tametsi extra septa Conventuum positurum, prout in quibuscumque fel. rec. Clementis IV., Clementis VI., & Sixti IV. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum literis respective plenius continetur; ac proinde in vim eorumdem privilegiorum quilibet Conventus Congregationis præfate in Hispaniarum, ac Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis vigentis, cujus Fratres exactam paupertatem profitentes bona extra septa eorum Conventum non possident, sed dumtaxat congruum Hortum puro circumdatum,

Confraternitates prædictæ erigendæ Ordinaris subiecti.

Sanctio penalis.

Dat. 3. Aprilis 1727. An. 3.

Procurator.

Universus Ordo prædictus a Romanis Pontificibus alias exemptus fuit a solutione Decimarum.

Proces. Procuratoris Generalis.

tum, dictisque Conventibus inclusum, & incorporatum, quem propriis sumptibus colunt, immunitate a Decimis præfatis ab immemorabili tempore gavisi, & potiti fuerit.

A Parochiis, & Capitulis nonnullis a 1. versus Fratres prædictæ Congregationis in quibusdam Provinciis hac super re excitata fuisse lites.

§.2. Nihilominus in aliquot ejusdem Congregationis Provinciis, ac præsertim illa S. Philippi Regni Portugalliæ, & altera Bethicæ nuncupat. in Hispaniis nonnulli Ecclesiarum Rectores, sive Parochi, ac Canonici, & Capitula ejusmodi exemptionem impugnare, & ab aliquot Conventibus, ac præcipue illis Beate Mariæ Virginis de Remedios nuncupat., Civitatis Hispaniensis & de Carnide nuncupato extra Moenia Civitatis Ulyssibonenfis posito dictæ Congregationis, Decimas pro fructibus ex eorum Hortis, seu Terris hujusmodi collectis, & in posterum colligendis exigere prætendunt, atque lites, quæ etiam nunc pendunt, eis desuper moverunt, eo potissimum quoad illum de Carnide, quod in memoratis Prædecessorum nostrorum literis dispositioni cap. Nuper de Decimis derogatum minime fuerit, & quoad alium Civitatis Hispaniensis Conventum prædictum, quod eadem literæ Apostolicæ suffragari nequeant pro illa rata fructuum, quæ a Fratribus præfatis interdum venditur. Ipse vero Michael neutram ex his objectionibus, etiam si ad tramites, & rigorem juris examinari, ac discuti deberent, subsistere posse pro certo tenet, tum quia si aliqua portio fructuum, olerum, & aliarum rerum, quæ supersunt a Fratribus dicti Hispaniensis, seu aliorum ejusdem Congregationis Conventuum vendatur, pretium inde retractum in alios usus, & necessitates ipsorum Conventuum, & Fratrum dictæ Congregationis, horumque alimoniam, & sustentationem, quibus, utpote bona extra septa præfata possidendi incapacibus aliter provideri nequit, converti, & erogari consuevit, adeoque dicti fructus, qui etiam venduntur usibus ipsorum Conventuum, & Fratrum semper deserviunt, tum quia expressam derogationem, supradicti Capituli Nuper de Decimis, ut enarrate Prædecessorum literæ Ordini, & Congregationi præfatis suffragarentur, nusquam de jure necessariis fuisse existimat, & quatenus etiam illa, requireretur satis esset, quod in similibus Privilegiis, & exemptionibus a Decimis nonnullis aliis Ordinibus, seu Institutis, vel Societatibus Regularibus concessis, quorum omnium communicationem re. me. Clemens VIII., Prædecessor etiam noster, Ordini, & Congregationi præfatis indulgit, derogatio ejusmodi diserte opposita legitur.

§.3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ipse Michael pro Religiosa Congregationis, Conventuum, ac Fratrum prædictorum tranquillitate, eorumque indemnitate, ac liberatione a quibuscumque dispendiis litium pendendum, & quæ progressu temporis adversus eos excitari possent, exemptionem a solutione Decimarum prædictarum, eis, sicut præmittitur, concessam, quo firmius subsistat, ac servetur exactius, Apostolicæ confirmationis robore communiri, ac quatenus opus sit innovari, & ad bona tam primæ erectionis, quam post fundationem acquisita intra Muros eorumdem Conventuum consistentia, illorumque fructus, qui a dictis fratribus consumuntur, aut interdum ad subveniendum aliis eorum necessitatibus venduntur, extendi plurimum desideret; Nobis

propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.4. Nos igitur ejusdem Michaelis Votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eumque specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac supradictorum Clementis IV. Clementis VI., & Sixti IV. literarum datas, & tenores, necnon litium, causarum hujusmodi, in quibusvis Tribunalibus pendendum statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicantium, & Colligantium, & alia quæcumque etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirentia, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & specificatis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, easdem lites, & Causas a quibusvis Judicibus, & Tribunalibus ad Nos auctoritate Apostolica tenore presentium avocamus, illasque, penitus, & omnino supprimimus, & extinguimus, perpetuumque desuper silentium imponimus, ac privilegia super exemptione a solutione Decimarum Congregationi, Conventibus, & Fratribus præfatis concessa, seu quomodolibet competentia, expeditasque desuper memoratorum Clementis IV. Clementis VI., & Sixti IV. Prædecessorum literas prædictas, cum omnibus, & singulis in eis contentis, quo ad bona quæcumque intra muros tamen eorumdem Conventuum, ac sub vera, & formali eorum Clausura existentia dumtaxat, ac fructus, qui inde colliguntur, auctoritate, & tenore præfatis confirmamus, & approbamus, atque innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjungimus; necnon quatenus opus sit, dicta Privilegia, & literas ad eadem bona, illorumque fructus, qui non solum per Fratres prædictos pro eorum, ac ipsorum Conventuum usu consumuntur, sed interdum ad aliis eorum indigentis subveniendum venduntur, extendimus, & ampliamus, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quando cumque spectabit inconcusse observari mandamus.

§.5. Decernentes easdem præfentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet etiam specifica & individua mentione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non conferant, nec ad ea vocati, & auditi, neque Causæ propter quas ipse præfentes emanarint justificatæ, & verificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis Juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illos aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari,

B b 2

seu

Supprimuntur prædictæ lites, & ac Privilegia præfata super exemptione a solutione Decimarum ejusdem Congregationi alias concessa confirmantur, atque extenduntur.

nicam linguam perfecte tenent. Quia pariter abunde Nobis probatum est, Germanos Patres in præmemorata nostra Provincia, & si præceteris in Vineâ Domini laborantes Prædicationibus imprimis, ac directionibus Populorum inter Hæreticos, & Schismaticos degentium ad Provinciam tamen Præfecturas, dignitates, & officia, quam raro vix promoveri, nec ad habitum, & Professionem tot Germanos admitti, quot pro relictis laboribus forent necessarii, quinimo ex ipsius Catalogis a Provincialibus pro tempore transmissis satis superque constat eandem Præfecturas, dignitates, & officia non sine maxima partialitate retineri, ut plurimum ab uno, vel altero ex quatuor Nationibus ex quibus Provincia præfata constat, cum notabili præiudicio Iustitiæ distributivæ, & aliorum Religiosorum. Ex quibus profecto non sine publico detrimento, Religiosa pax, & quies nimium obtrudari dignoscitur.

Instituitur tripartita Alternativa in præfata Provincia.

§.3. Idcirco ad fraternam charitatem, Iustitiamque distributivam fovendam, & inter tantos Hæreticos animarum salutem magis procurandam ad tres partes eandem Provinciam in genii linguis, & Nationibus divisam considerantes, videlicet in Hungaricam modo habentem circiter 146. Fratres, Germanicam Religiosos itidem 241. continentem, & Slavonicam, sub qua Croate comprehenduntur, numerum 131. constituentem, Alternativam quoque in tribus his partibus in Domino statuere censuimus, prout præfati nostro Decreto futuris perpetuis temporibus statutam decernimus, & declaramus, itaut una electio fiat Germanus Provincialis Hungarus, Custos, Diffinitores duo ex Slavonica parte; Unus ex Hungarica, & unus ex Germanica, ac Secretarius ad libitum Provincialis de Natione Slavonica assumatur, & Amanuensis scriptor de Hungarica. Altera electio fiat Hungarus Provincialis, Slavus Custos, Diffinitores duo Germani; Unus Hungarus, & unus de Slavis. Secretarius Germanus, Amanuensis Slavus. Tertia electio fiat de Slavonica parte Provincialis, Custos Germanus, Diffinitores duo Hungari, unus de Slavis, unus Germanus, Secretarius Hungarus, Amanuensis Germanus, sicque singulis in electionibus futuris hac methodo Alternativa continuari jubemus, & præcipimus. Quoad Guardianos Terialtas de qualibet parte dictarum Nationum instituantur, ita tamen distributa, ut quantum fieri potest, in locis ubi sola una natio Populo in Prædicationibus infervit, ejusdem Nationis Superior ponatur cum Vicario.

Ordinationes hæc super re.

§.4. In locis vero, ubi duobus, vel tribus Nationibus servitur, Alternativa conservetur, ut semel Superior Localis de una Natione, alia vice de alia fiat, Vicario semper existente de altera Natione, quam sit Guardianus, & Discretus de Tertia Natione, ubi tribus Nationibus infimul servitur concionibus, Novitiatum quælibet Natio in suo loco habeat sub suo primario, & secundario Magistro, ita, & professorum, sub duobus Magistris. Quoad Lectores omnis possibilis aequalitas, vel Alternativa trium partium servanda erit, sine exclusione tamen magis dignorum. Quia tamen ex Croatis, & Slavis una componitur Pars, ideo in prædicta upitate semper utrique habenda erit ratio, adeout in officiorum, & dignitatum distributione nun-

quam Croate rationabiliter conqueri possint. Volumus autem, etiam ad majorem omnium præfatorum firmitatem, ut antequam hæc nostræ definitiones executioni demandentur, confirmatio S.Sedis per P.Procuratorem Generalem Reformatorem obtineatur, & sollicitetur. Datum Romæ ex nostro Conventu Aracelitano 11. Martii 1727. Fr. Matthæus a Paretta Minister Generalis. Loco * Sigilli. De Mandato Suae Reverendiss. Paternitatis — Franciscus Antonius Maria Spinelli Secr. Generalis.

§.5. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Procurator Generalis præmissa quo firmitus subsistant, & servantur exaustius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati præfatas memorati Matthæi Ministri Generalis Patentes literas, omniaque, & singula in eis contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§.6. Decernentes ipsas præfatas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, præfatorum Ordinis, Provincie, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præfatis pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Beneventi sub Annulo Piscatoris die IV. Aprilis MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Proces Procurationis Gen. Reformatorem cum.

Confirmatio relatarum literarum Patentium.

Clausula.

Con.

CLXXVI.

Die 26. Apr. 1727. An. 3.

Conceditur Capitulo S. Petri de Urbe facultas concedendi Dimissorias ad omnes sacros Ordines, subditis Monasteriorum eidem Capitulo unitorum.

Pius IV. anno 1564. Jun. 20. univit mensa Capitulari dictæ Basilicæ inter alias Abbatiam S. Rufilli Foropompilii, & Inn. XI. Const. ed. 1678. Feb. 25. P. 2. approbavit decretum dicti Capituli de distributione Beneficiorum Clericis subditis dictæ Abbatie.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN Apostolica dignitatis fastigio meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ Bonitatis abundantiam constituti ad statum omnium Catholicorum Orbis Ecclesiarum, præsertim Almae Urbis Nostræ Basilicarum, quarum specialis Nobis a Domino credita est sollicitudo, personarumque in eis Altissimo assidue famulantium propensius studiis jugiter intendimus, earumque decori, ornameto, ac dignitati paternam benignitatem libenter consulimus, sicuti omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, salubriter expedire in Domino arbitramur.

A Pio IV. 1564. nulla Monasteria Capitula præfata unita fuerunt cum eorum jurisdictionibus.

§.1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Capituli, & Canonicorum Basilicæ S. Petri de Urbe Nobis expositum fuit, quod cum alias postquam se. re. Pius PP. IV. Prædecessor Noster intuitu, ac in remunerationem quorundam subsidiorum a Capitulo, ac tunc existentibus Canonicis ejusdem Basilicæ in Sedis Apostolicæ levamen collatorum, per suam Cedula Motus proprii XII. Kal. Julii anno 1564. seu alio veriori tempore expeditam, diversâ Monasteria Abbatias nuncupata, & præsertim illæ S. Rufilli Oppidi Foropompilii in Ravennaten, & SS. Petri de Cusato, ac Nazarii in Salernitan. respectivè, seu aliis Provinciis confistentia, una cum universis eorum Jurisdictionibus, Vassallis, & subditis eidem Capitulo perpetuo univert, & incorporaverat, & a quacumque superioritate, tunc, & pro tempore existentium Episcoporum Britonorien Policastren, & Caputaquen in Spiritualibus, cum in temporalibus exemerat, anno 1595. tunc existens Episcopus Policastren Jus Ecclesiasticum ejusdem S. Petri de Cusatis, aliasque ab ea dependentes Parochiales Ecclesias in vim Decretorum Concilii Tridentini, ac tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus visitandi sibi competere prætendisset, exhibita pro parte Capituli, & Canonicorum præfatorum dictæ Cedula Motus proprii super unione, & incorporatione ejusmodi Congregationi tunc temporis pariter existentium S.R.E. Cardinalium ipsius Concilii Interpretum, & rationum utrinque deductarum momentis per eosdem Cardinales mature expensis, prodiit Resolutio, non licere præfato Episcopo dictas Parochiales Ecclesias tanquam unitas post concilium præfatum visitare.

Verum variè ei indicæ fuere lites, præ-

§.2. Postmodum vero, nempe anno 1671. cum tunc etiam existens Episcopus Britono-

rien, qui ad almam Urbem nostram limina Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli visitatum venerat coram eadem Congregatione Cardinalium, licet immerito conquestus fuisset, quod spoliū suæ ordinariæ Jurisdictionis in dicto Oppido Foropompilii, & Terra de Melidola, quæ a præfato Monasterio Sancti Rufilli itidem dependent, passus fuisset, ipsaque Congregatio Cardinalium eidem Episcopo Britonorien mandasset, ut Jura sua, citatis Capitulo, & Canonicis prædictis, deduceret, plura dubia in dicta Congregatione Cardinalium, & inter alia, an prædicti Capitulum, & Canonici literas dimissorias personis Jurisdictionis ejusdem Monasterii concedere possent, die 12. Martii 1672. disputata fuere, super quibus nulla decisiva capta resolutione ejusmodi causa, & Controversia per plures annos siluit, donec illa reassumpta, ac præsertim super facultate concedendi dictas literas dimissorias, eadem Congregatio Cardinalium postquam die 21. Januarii 1719. proposito sibi Dubio, an etiam si constaret de Territorio separato Capitulum, Canonici prædicti dimissorias concedere possent? negative responderat, subinde die 23. Augusti 1720. inter cætera rescripsit, quod idem Capitulum, & Canonici Romano Pontifici pro obtinendo Indulto literas dimissorias prædictas concedendi supplicarent: Unde ipsi se. re. Innocentio PP. XIII. prædecessori nostro preces porrexerunt, quatenus eis ejusmodi literas dimissorias suis subditis tam ratione Sancti Rufilli, quam SS. Petri de Cusato, & Nazarii Monasteriorum præfatorum dandi potestatem faceret, quæ memoratæ Congregationi Cardinalium pro voto, ita, quod instantia proponeretur, citatis Episcopis prædictis, remissa fuerunt ubi die 23. Maji 1722. proposito altero Dubio, num præstandum foret consilium pro concessione ejusmodi Indulti? Directa fuit resolutio, & rescriptum, ut expectaretur exitus causæ super Territorio separato pendens in Causarum Palatii Apostolici Auditorio, de cuius voto alias cognoscendam esse censuerat, & in hujus rescripti executionem Capitulum, & Canonici eandem Causam in dicto Auditorio prosecuti sunt, a quo Juribus hinc inde deductis strictim, & apprimè discussis favore eorumdem Capituli, & Canonicorum decusum, ac resolutum fuit, constare de Territorio separato in dicto Monasterio S. Rufilli, & deinde præfatus Episcopus Britonorien Decisiones, ac Resolutiones Rotaes hujusmodi acceptavit, & liti super articulo dicti Territorii separati cessit, ipsique demum Capitulum, & Canonici enarratum votum ab ipso Auditorio desuper expediri obtinuerunt.

ferim super facultate concedendi literas dimissorias subditis eorum Monasteriorum

Que in Congregatione Episc. & Reg. plures disceptare fuere.

Proces ejusdem Capituli pro indulto præfato obtinendo.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Capitulum, & Canonici præfati graves expensas in ejusmodi controversia, ac præsertim super Territorio separato, pro cuius comprobatione multiplicia documenta invenire, ac parare debuerunt, sustinenda facere coacti fuerint, eorumque annui proventus aliquot ab hinc annis ob temporum calamitates notabiliter diminuti requirantur, novaque dispendia, si res denuo in dicta Congregatione Cardinalium pro illius voto impetrando agitata foret, subire compellerentur, ex præmissis vero non obscure appareat ipsam Congregationem

seu impetrato, aut etiam metu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in Iudicio, vel extra illud uti, seu se iuvare posse; sed ipsas presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque, & non aliter in praeiudicium per quoscumque Iudices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alteri iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatoria.

§.6. Non obstantibus memorato Cap. Nuper de Decimis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellaria Nostra Regula de Jure quæsito non tollendo aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit, Congregationis, Ordinis, & Conventuum, præfatorum, & quarumcumque Ecclesiarum, & Capitulorum, aliisque quibuscumque, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquilita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil pepitit omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & inferrentur, presentibus proplene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Beneventi sub Annulo Piscatoris die tertii Aprilis MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

CLXXIV.

Dat. 7. Aprilis 1727. An. 3.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Regularium super erectione unius Seminarii pro Missionariis in qualibet Provincia Familie Ultramontane, ac Indiarum Orientalium, & Occidentalium Minorum de Observantia Discalceatorum, & Recollectorum.

De confirmatione similis Decr. pro erectione Seminarii Missionariorum in Provincia S. Pauli Castellæ Veteris eorumdem Fratrum, vide aliam huius ed. 1724. Sept. 5. P. 1.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provinciarum Familie

Ultramontane, ac Indiarum tam Orientalium quam Occidentalium Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum, & Recollectorum nuncupatorum Congregationi Ven. Fratrum Nostorum Sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita exposito, quod ipsi, ut animarum pretioso sanguine Domini Jesu Christi redemptarum saluti proficere possent in unaquaque ex dictis Provinciis unum ex earum Conventibus per Fratres Diffinitorii Provincialis cujuslibet respective Provincie huiusmodi designandum in Collegium, seu Seminarium Missionariorum, qui Apostolicæ Missioni unice essent dediti erigendi facultatem sibi concedi plurimum desiderabant, cujus quidem Collegii, seu Seminarii Guardianus, & alii Fratres pariterque ipsum Collegium, seu Seminarium strictissimis earumdem Provinciarum, Constitutionibus gubernarentur, & Ministris, & Diffinitoriis Provincialibus pro tempore existentibus subijci deberent, quibus etiam electiones Guardianorum ejusmodi Collegiorum, seu Seminariorum, necnon Novitiorum receptio competere, sicuti in aliis Conventibus observabatur, non autem Prælo Generali subijcerentur, quemadmodum in quibusdam rec. ne. Innocentii PP. XI. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis expeditis literis pro Collegiis Missionariorum ad familiam Hispanicam spectant. disponebatur, prohibendo simul expresse, quod dummodo in dictis Provinciis prædicta Collegia, seu Seminaia jam erecta existerent, nullus Frater unius ex memoratis Provinciis de illa titulo Missionis ad aliam Provinciam transire possit, concedendo pariter his novis Missionariis omnia, & singula privilegia, ac prærogativas in dictis Innocentii Prædecessoris literis contenta quibusque alia Missionariorum, etiam Regularis Observantia Seminaria fruebantur, remanente tamen intacta, & illæsa eadem Prælati Generalis auctoritate, quam in omnibus Provinciis, & Conventibus totius Ordinis exercebat, exceptis immediata subiectione, electione Guardianorum, ac Novitiorum receptione, quæ, ut supra dictum est, ad Ministros, & Diffinitoria Provincialia spectare deberent, quemadmodum ab eadem Congregatione Cardinalium diebus 20. Augusti 1723. & 7. Decembris 1725. Provincia SS. Pauli, & Gabrielis Ordinis prædicti indultum, ac subinde per quasdam Nostras desuper in pari forma Brevis editas literas confirmatum fuerat, emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.2. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis referente Eminentiss. Belluga, benigne indulsit, ut Patres Provinciales prædictarum Provinciarum, veris existentibus narratis ad fundationem prædictorum Collegiorum, seu Semi-

Decretum prædictum

Seminariorum Missionariorum in uno ex Conventibus earumdem Provinciarum sibi met ipsis, & Diffinitoriis Provincialibus benevisio juxta formam, prærogativas, Privilegia, & onera contenta in præcatis Brevis San. Mem. Innocentii XI. pro eorum arbitrio, & conscientia, servatis servandis deveniant, immediata tamen Jurisdictione, & electione Guardiani, & receptione Novitiorum exceptis, quæ reservatæ intelligantur eisdem Provincialibus, modo supra descripto, cum expressa, etiam conditione, ut Religiosi prædictarum Provinciarum de uno ad aliud Seminarium alterius Provincie transire, & Guardiani horum Seminariorum erigendorum Religiosos aliarum Ordinis Provinciarum acceptare minime possint, & valeant; firmis ceteroquin integris, & illæsis remanentibus omnibus aliis prærogativis, auctoritatibus, ac Superioritatibus debitis, & competentibus P. Prælo Generali Ordinis Constitutionibus Apostolicis, & Ordinis prædicti, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus &c. Romæ 24. Januarii 1727. = Cardinalis Franciscus Barberinus = P. A. Archiepiscopus Larisse Secr.

Preces Procuratoris Gen. pro confirmatione.

§.3. Cum autem, sicut dilectus filius Joannes Diaz a Conceptione Sacre Theologiæ Lector, ac Frater Discalceatorum, & Recollectorum dicti Ordinis in Romana Curia Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse præmissa, quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostre patrocinio communiri summopere desideret; Nos specialem ipsi Joanni Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præfatum auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

§.4. Decernentes ipsas presentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, Provinciarum, & Conventuum huiusmodi, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene,

& sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Beneventi sub Annulo Piscatoris die III. Aprilis MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

CLXXV.

Confirmantur Literæ Patentes Magistri Generalis Ordinis Minorum super institutione Alternativa tripartita in Provincia Mariana Minorum Reformatorum in Hungaria.

Dat. 4. Aprilis 1727. An. 3.

Inn. XIII. Const. ed. 1721. Jun. 16. P. 1. confirmatum fuit Decr. Congr. Episc. de Alternativa officiorum pro Provincia S. Ant. in Lusitania, & Clem. XII. Const. ed. 1732. S. pt. 10. P. 3. agitur de distributione officiorum Provinciae Terræ Laborum eorumdem Fratrum.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quod cum dilectus filius Matthæus a Pareta Minister Generalis Ordinis eorumdem Fratrum Minorum, Sancti Francisci de Observantia, etiam nuncupatorum animadvertisset officia, & dignitates in Provincia Mariana nuncupata prædicti Ordinis non sine maxima partialitate distribui, itaut illius Fratres Natione Germani præsertim notabile inde detrimentum acciperent, ipse Matthæus Minister Generalis, ut huic malo congruum adhiberet remedium, quandam Alternativam tripartitam inter Fratres totidem Nationum Hungaricæ scilicet Germanicæ, & Slavonicæ, quibus dicta Provincia constituitur, statuit, aliæque ad servandam inter eos æqualitatem præscripsit, prout uberius continetur in ipsius Matthæi Ministri Generalis literis Patentibus desuper emanatis tenoris, qui sequitur, videlicet.

Expositio facta.

§.2. Fr. R. Matthæus a Pareta Lector Jubilatus Sacrarum Congregationum Indicis, & Rituum Consultor, Supremæ, & Universalis Inquisitionis Qualificator, & totius Ordinis Sancti P. N. Francisci Minister Generalis, & Servus. Cum sicut accepimus a nonnullis probis, fideque dignis Religiosis specialiter requisitis nostra Reformatæ Provincia Mariana in Hungaria plurimos Conventus locatos habeat, ubi vel integer Populus, aut pars illius linguam dumtaxat Germanicam callet, ubique degere assolent Germani Gubernatores, alique tam Ecclesiastici, quam Seculares Benefactores, cum quibus Religiosi præsertim Superiores jugiter agere debent; propterea opportunum, ac necessarium semper putavimus, quod ibidem de familia ii Religiosi collocentur, qui Germanico idiomate rite concionari valeant, quodque quantum distributiva Justitia patitur, Superiores locales præficiantur, qui eandem Germanicam

Literæ Patentes prædictæ Magistri Generalis.

nem Cardinalium concessionem praefati Indulti rationi, & aequitati consentaneam agnovit, illiusque mentem fuisse, ut illud concederetur si & quando de dicto Territorio separato constaret, prout nunc de eo plane constat. Plures autem Romani Pontifices Praedecessores nostri, etiam post supradictum Concilium Tridentinum facultatem dandi literas dimissoriales huiusmodi Monasteria similia obtinentibus concesserint, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.4. Nos eandem Basilicam S. Petri, quae speciale Sedis Apostolicae membrum, & propria Romani Pontificis Sedes, nec non ceterarum Urbis, & Orbis Ecclesiarum speculum, & decus existit, illiusque Capitulum, & Canonicos amplioris honoris prerogativa donare, ac aliquod peculiaris devotionis nostrae, quam erga eandem Basilicam gerimus affectus monumentum extare cupientes, ipsorumque Capituli, & Canonicorum votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, memoratorum Praedecessorum nostrorum exemplo eisdem Capitulo, & Canonicis, ut subditis Praefatorum Monasteriorum S. Rufilli Oppidi Foripompilii Ravennatensi, & Sanctorum Petri de Culato, ac Nazarii Salernitani respective, seu aliarum Provinciarum nunc, & pro tempore existentibus literas dimissoriales ad Clericalem characterem, & ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus Ordines suscipiendos concedere libere, & licite possint, & valeant auctoritate Apostolica tenore praesentium facultatem perpetuo tribuimus, & impartimur.

Concessio facultatis praedictae.

§.5. Decernentes easdem praesentes literas, etiam ex eo, quod quicumque, etiam specifica, & individua mentione digni in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causa propter quas praesentes emanarunt sufficienter adductae, verificatae, & iustificatae fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis iusta, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, pretexto, & capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quocumque, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuaeque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, ad terminos iuris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, ac ex certa scientia, deque Apostolica potestatis plenitudine concessio, vel emana-

to, quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare possit, sed ipsas praesentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suisque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, sique, & non aliter in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicam Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praereminentia, & potestate fungentes, & functuros: sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatoria.

§.6. Non obstantibus praemissis, ac quacumque litis, seu litium pendentia, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis litis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quatenus opus sit dictorum Monasteriorum, aliisque quibusvis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus: privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exposita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & inferrentur iisdem praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Beneventi sub annulo Piscatoris die xxvii. Aprilis MDCCXXVII. Pontificatus nostri anno Tertio.

Con-

CLXXVII.

Dat. 26. Maii 1727. An. 3.

Confirmantur universo Praedicatorum Ordini privilegia omnia ei concessa, & Apostolicae Constitutiones in eiusdem gratiam emanatae pariter approbantur, & extenduntur, ac nonnulla quoque eidem conceduntur.

Catalogus Constitutionum Privilegiorum omnium a Praedecessoribus Romanis Pontificibus dicto Ordini concessorum hic fuisse retextitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a laudibus Ordinis Praedicatorum.

Retiosus in conspectu Domini Fratrum Praedicatorum inclitus Ordo, quem Divinus Sponsus ad cumulandos dilectae Sponsae suae Sacrosanctae Ecclesiae in Terris militanti caelestes Triumphos, excitavit, & quem Nos ab ineunte etate nostra expresse professi sumus, promeretur, ut ea, quae ob innumera, & in dies adolefcentia erga Sedem Apostolicam merita, de plurium Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, diversis sic meritis & ipsis exigentibus temporibus, gratia processerunt, in unum a Nobis redigantur, approbentur, confirmantur, & de novo, novis etiam superventibus meritis, concedantur, ut ex eis omnibus sic in unum redactis, debita Privilegiorum amplitudo, & ex ea altitudo appareat meritum, & Ordo ipse in Nobis Filii expertus obedientiam, & reverentiam, paterni nunc quoque, Divina sic disponente bonitate, nostri amoris affectum experiatur, & liberalitatem.

§.1. Hinc Nos, qui dudum inter alia volumus, quod Literae super Indulgentiis non expediantur ad instar, nisi specificentur, Ordinem Praedicatorum huiusmodi amplioribus gratiis, & favoribus prosequi volentes, ac dilectos Filios Fratrem Thomam Ripoll Magistrum, & Fratrem Angelum Gulielmum Molum Procuratorem Generales Ordinis, omnesque, & singulos illius Superiores, & Fratres, aliasque personas suo loco subiungendas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon omnium, & singulorum infra scriptorum Romanorum Pontificum Praedecessorum & Nostrorum mox referendarum Literarum, Congregationum Decretorum, inferius dicendorum, respective tenores praesentibus, perinde ac si de verbo ad verum nihil penitus omisso inserti forent, pro expressis habentes, Motu proprio, non ad alicujus super hoc Nobis oblate petitionis instantiam, sed ex certa scientia, merisque deliberatione, & liberalitate Nostri, deque Apostolica Potestatis plenitudine eidem Ordini omnes, & singulas succellive recensendas, ac alias quascumque gratias, exemptiones, Indulgentias, & peccatorum remissiones, necnon concessionem cuius-

Confirmantur Constitutiones omnes Romanorum Pontificum, quibus Indulgentiae, gratiae, ac privilegia eidem Ordini concessa fuerunt.

cumque generis, conditionis, & speciei, Fratribus, & Sororibus quibuscumque praedicti Ordinis Praedicatorum, ac etiam Tertii Ordinis de Penitentia S. Dominici nuncupatis, de Apostolica largitate concessas tam generaliter, quam specialiter, & in individuo, confirmamus, innovamus, & quatenus opus sit, de novo concedimus.

§.2. Et primo quidem omnes, & singulas Indulgentias, Confraternitati Sanctissimi Nominis Jesu; sive alias Nominis Dei, & Juramentorum (quam ab ipso Ordine Praedicatorum originem duxisse, Praedecessor Noster S. Pius V. in Literis = *Decretum Romanum Pontificum* = 21. Junii 1571. animadvertit, ejusque Auctorem antea Fratrem Didacum de Victoria Conventus Sancti Pauli Burgensis praedicti Ordinis, eundemque egregium Verbi Dei praedictorem dixerat Pius PP. IV. in Constitutione = *Salvatoris* = Idibus Aprilis 1574.) a praedicto Pio IV. in alia Constitutione incipien. = *Injunctum Nobis* = eisdem die, & anno, Gregorio XIII. in literis suis = *Alias per fel. rec. Pium PP. IV.*, & duabus aliis incipien. = *Alias fel. rec. Pium PP. IV.* 9. Julii, & 5. Septembris 1580., & 22. Septembris 1583. ceterisque aliis Romanis Pontificibus deinde concessas, declarantes, eas omnes Indulgentias accipiendas esse ad normam Literarum Pauli V. = *Quam certas unicuique Confraternitati* = 31. Octobris 1606. = *Pias Christi fidelium* = 28. Septembris 1612. = *Quam sancti nuper accepimus* = 1. Aprilis 1613., atque Venerabilis record. Innocentii XI. = *Quam dudum* = 18. Aprilis an. 1678.; Declarantes insuper, ac mandantes juxta praebatas Literas S. Pii V., Confraternitatem eandem in locis, in quibus Conventus Ordinis praefati existunt, aut quodcumque sunt exituri, in solis ejusdem Ordinis Ecclesiis existere posse, ac in eisdem dumtaxat per Fratres praedictos functiones quaslibet ad d. Confraternitatem spectantes esse peragendas, nisi alias speciali Indulto aliud ab Apostolica Sede forte concessum reperitur; necnon ad normam praedictarum Pauli V. Literarum = *Quam certas* = potestatem tales Confraternitates erigendi, & fundandi, ac Indulgentias communicandi, alias a S. Pio V. in memoratis Literis, Provincialibus, ac etiam Conventuum Prioribus permissam, soli Ordinis Generali Magistro, vel Vicario Generali esse privative adjudicandam.

Confirmantur primo Indulgentiae Confraternitatis SS. Nominis Jesu, quae ab Ordine Praedicatorum originem traxit, concessae.

Cum nonnullis declarationibus.

Indulgentiae pariter, & gratiae concessae Confraternitati SS. Corporis Christi in Eccl. S. M. super Minervam praedicti Ordinis.

§.3. Indulgentias quoque, ac gratias omnes Confraternitati Sanctissimi Corporis Christi in Ecclesia domus B. M. V. super Minervam praedicti Ordinis Praedicatorum, ex qua tanquam a prima, & principe innumerae aliae in totum qua late patet Christianum Orbem, in perpetuum tanti Sacramenti cultum, prodire, a Praedecessoribus Nostri ab ejusdem origine benigne concessas, nimirum a Paulo Papa III. in Constitutione = *Dominus noster Jesus Christus transivimus* = pridie Kal. Decembris 1539. & = *Ad providam* = Gregorio XIII. = *Postoris aeterni* = octavo Idus Augusti 1573. Paulo V. in Constitutione = *Quam certas* = 3. Novembris 1606.

§.4. Insuper Indulgentias Societatis Sanctissimi Rosarii, ab ipso Ordine Praedicatorum Fundatore P. S. Dominico cum insigni animarum fructu, & B. M. V. honore, instituta a quocumque, & quomodocumque concessas: nominatim

Indulgentiae insuper, & gratiae concessae Societati SS. Rosarii ab ipso S. Dominico instituti.

